

cum omnibus ad eam pertinentibus. Memoratas igitur cellas, monasteria et villas cum nonis et decimis, quas ipsa ecclesia de comitatu et de aliis villis, quae in beneficio continentur, accipere consuevit seu alias res cum rebus omnibus et mancipiis ad se pertinentibus, quas modo et tunc iure et legaliter ipsa tenebat ecclesia, apostolico nostrae auctoritatis ritu per hoc nostrae altitudinis scriptum eidem denuo confirmamus ecclesiae, ut hac huius apostolicae sedis immunitate praefatus pontifex et futuri saepedictae ecclesiae praesules per omnia et in omnibus, quae sibi necessaria fuerint, utantur suaque defendant et liberam exinde et ex aliis rebus, quae eidem ecclesiae a fidelibus dei conlatae sunt, habeant potestatem. Obtulit interea iam dictus venerabilis praesul Aurelianensis ecclesiae obtutibus nostris auctoritatem immunitatis regum videlicet atque imperatorum, in qua erat insertum, quod ipsi reges Francorum videlicet matrem ecclesiam, cui auctore deo ipse venerabilis episcopus praeest, sub suo ipsius munimine ac devotione¹ consistere fecissent et eorum immunitate auctoritatis² hactenus ab inquietudine iudiciariae potestatis eadem munita ac defensa fuisset ecclesia. Ob rei tamen firmitatem postulavit nos iam dictus venerabilis episcopus³, ut sanctorum patrum morem sequendo, nostrae immunitatis privilegium eidem fieri censeremus ecclesiae. Cuius petitionibus iterum libenter annuimus et sanctorum patrum gesta roborando hoc nostrae immunitatis privilegium sub interdicto apostolicae constitutionis pro divini cultus amore et sanctae religionis stabilitate ad⁴ ipsam sanctam sedem fieri decrevimus: per quod praecipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus vel quilibet ex iudiciaria potestate tam praesentium quam futurorum in ecclesias aut loca seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis iuste et legaliter memorata tenet ecclesia, nec in eas res, quae deinceps a catholicis eidem conlatae fuerint ecclesiae, ad causas audiendas vel freda aut tributa thelo- neaque exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fidei- iussores tollendos aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos quam servos super terram ipsius commanentes distringendos seu alias redibitiones aut inlicitas⁵ occasiones nostris et futuris temporibus aggredi audeat, neque ea quae supra memorata sunt exigere penitus praesumat⁶, sed liceat praefato praesuli suisque successoribus res praedictae ecclesiae cum monasteriis, cellis, villis sibi subiectis et rebus omnibus vel hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, una cum telonei medietate et porta Parysiaca, sicut in praeceptis regum continetur Fran- corum vel etiam nonis et decimis de quibuscunque locis vel

1) 'defensione' B. 2) 'immunitatis auctoritate' ist wohl zu ver- bessern. 3) 'praesul' B. 4) 'vel' B. 5) 'illicitas' B. 6) 'praesumet' B.